

**Adspirante Jehovah ... de hemicrania in vertiginem transeunte periēgēs in  
... / publicae disquisitione Joh. Jacobus Wetstenius.**

**Contributors**

Wetstein, Johann Jacob.  
Bauhin, Johann Caspar, 1606-1685.

**Publication/Creation**

Basle : Literis Jacobi Bertschii, [1677]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/w2t4budx>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>


ADSPIRANTE IEHOVAH  
ANNVENTE GRATIOSISS. ATQ. AMPLISS.  
MEDICORVM BASIL. ORDINE  
DE  
HEMICRANIA  
IN  
VERTIGINEM  
TRANSEVNT  
ΠΕΡΙΗΓΗΣΙΝ

PRÆSIDE  
MAGNIFICO ACADEMIÆ PRORECTORE  
D.D. IOH. CASP. BAVHINO,  
MED. PRACTICÆ PROFESSORE MERITIS  
EXCELLENTISS. CELEBERRIMO  
FACULTATIS DECVRIONE SPECTATISSIMO  
PRÆCEPTORE ATQVE FAVTORE  
ÆTATEM COLENDO

D. *23. April.* A. clō lōc LXXVII.  
L. H. Q. S.

PVBLICÆ DISQVISITIONI  
EXPONIT

IOH. IACOBVS WETSTENIVS,  
BASILIENSIS.



---

BASILEÆ  
LITERIS IACOBI BERTSCHII.



DEO  
PATRIÆ  
PARENTIBVS  
PRÆCEPTORIBVS  
FAVORIBVS  
AMICIS  
S.





## C A S U S.

**N**obilis quidam natus annos XL. staturâ mediocri, corporis habitu mediocriter obeso, colore faciei subpallido, pilis copiosis, rectis, ex albo flavescens, pulsu tardo, raro, modicè forti: cum ab aliquot septimanis quàm lautissimè vixisset, ante octiduum, instante plenilunio, domum cum crapulâ reversus, circa diluculum sensit dolorem, capitis latus dextrum prementem & distendentem, qui tamen ad pilorum inversionem non exacerbatur: Huic jungitur exiguus ventriculi dolor pungitivus, post quem oculis quasi nubecula obversari videntur. His sex diebus ità recurrentibus, accessit appetitûs dejectio, nausea, cum imaginatione ac si in gyrum omnia verterentur, atq; totius corporis lassitudo. Pulsus observatur fortis & tardus. Urina conspicitur albicans, turbida, crassa. Excrementa per aures & nares copiosè egeri solita, non respondent. Alvus summoperè est adstricta. Quæritur consilium.

### ΑΝΑΛΥΣΙΣ.

#### I.

**Q**uàm verè atque eleganter, divus ille Medicorum dixerit Princeps, I. II. Aphorism. 51. ὅτι πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Et I. περὶ αἵρων, ὅτι τόπος ὁ κοῖτος κεφαλᾶς ἀσθενέας ἔχουσιν, ὅταν εἴπωσαν ἀγαθοὶ πίνειν, ἢ γὰρ κρασιπάλῃ μᾶλλον πιεῖν, Præ-



sens iste Nobilis, qui non nisi ad florentes devolabat amicitias, profusis sumptibus vivebat, magnificè splendideque convivivia ornabat, ædesque summè patentes voluptatibus habebat, satis superque testatur: cui, de sanitate jam sollicito, pro viribus succurrendum.

## II.

Temperiem ejus esse moderatè frigidam & humidam certa indubitataque, quæ adsunt signa, firmissimo nobis sunt argumento: corporis quippe habitus mediocriter obesus atque statura mediocris, ex moderatâ boni alimenti dependet abundantia, calorisque aliquali debilitate; color faciei subpallidus, pili copiosi, recti, ex albo flavescentes, similem quoque humorem in corpore dominari demonstrant. Unde Horatius *carm. L.I. Od. XIII*:

-- -- -- *Nec color*

*Certâ sede manet: humor & in genas*

*Furtim labitur:*

Et Hippocrates, *l. περὶ φύσεως παιδῶν*: "Οκοῖν ἂν ἡ σὰρξ ἰκμάσθαι ἑλκη, λεῖ τε λευκὴν, ἢν τε πυρρὴν, ἢν τε μέλαιναν, ποιεῖται τὴν ζωὴν καὶ ἡ θέρμη γίνεται. Pulsus denique in fortitudine mediocris, tardus, & rarus, caloris quidem aliquem vigorem, humorum verò frigidorum atque humidorum modicam exuperantiam, significat.

## III.

Afficitur hîc primariò & per *πρωτοπάθειαν* ventriculum cum visceribus imi ventris: quod ex ventriculi dolore, nausæa appetitu dejecto, vaporibus ascendentibus abundè probatur. Per *δευτεροπάθειαν* verò laborat cerebrum, quoad membranas pituitæ hancce metropolim cingentes, quæ, in dextro latere ob cerebri eò loci imbecillitatem, ab humore frigido, lento premuntur & distenduntur; nec non & ipsum cerebrum, spirituum animalium officina, quod ex imaginatione læsâ abundè probatur: unde tandem reliquum corpus in consensum trahitur, atque haud contemnenda lassitudo subsequitur.

## IV.

Affectus ipse est *Hemicrania* (Græcis *ἡμικρανία*, quod deducitur



deductum ab ἡμικεῖνον, & compositum ex ἡμιοῦς & κεῖνον, cujus radix κάρηνον) quæ est dolor capitis alterutrum latus fatigans, ortus ab humoribus & vaporibus eò loci collectis, qui ad pilorum inversionem non exacerbat.

V.

Morbus potissimum hîc est intemperies frigida & humida materialis, tam in visceribus imi ventris, quàm in arce rationis existens, cui simul aliqualis conjungitur solutio continui; nullum quippe deprehendes dolorem, quem continui solutio non comitetur, ut vult Gal. *L. IV. de simpl. med. fac. c. 2.* quod & dolor obtusus, distendens, & premens, excreta pituitosa, aliàs excerni solita, retenta, cruditates ventriculi, &c. item, ipsa ægri dispositio frigidior, in tales morbos prona, &c. sat accuratorum signorum loco nobis esse possunt.

VI.

Ortum suum trahit iste morbus proximè à copiâ humorum pituitosorum, tam in primis viis, ventriculo, &c. hærentium, ut ex symptomatibus ventriculi, nausæ scilicet, inappetentiâ, &c. patet; quàm in cerebro ipsâ pituitæ matre, & circa ejus membranas: cujus testis dolor capitis, excreta excernenda suppressa, & reliqua symptomata. Dictam autem humorum exuperantiam, produxere, similes humores, in massâ sanguineâ abundantes, de quibus natura ægri superius explicata, nos satis informat; quæ tandem fovetur ab aëris constitutione frigidâ & humidâ, hoc tempore satis molestâ, alimentorum nimîâ ingestione, vini copiosâ ingurgitatione, exercitiorum intermissione, excrementorum, quæ universalium, quæ particularium, retentione, atque paucâ animi pathematum commotione.

VII.

Ex dictis liquet ratio symptomatum: hinc dolet capitis nobilius latus humoribus repletum: hinc dolore tentatur ventriculus à crapulis debilitatus: hinc oculis obversantur quasi nubeculæ à vaporibus, tum ex ipso cerebro, tum ex inferioribus ad oculos delatis: hinc nausea & appetitûs dejectio, à pravis in ventriculo detentis humoribus: hinc universum corpus



ab humoribus abundantibus, atque vires prementibus, torpet: hinc urina albicans, turbida, crassa, à cruditatibus in corpore existentibus: hinc excrementa aliàs egeri solita, ob corpus ad functiones debite obeundas ineptum redditum atque debilitatum, non respondent.

### VIII.

Jam, cum affectus iste dependeat à causâ frigidâ, ab eâque foveatur, crisin expectandam non censeo; verum ei, utpote sat periculoso, atque majora jamjam molienti, quàm citissimè occurrendum, antequam humor lentus atque eradicatu difficilis altiores agat radices, atque in motûs & sensuum organis maxima producat mala: ἐφιάλτης enim ἡμιοπληξία, παράλυσις, ἀποπληξία, aliique curatu difficillimi morbi, ab hujusmodi affectibus, vix procul abesse consueverunt.

### IX.

Decenter autem huic malo occurremus, si morbo frigido & humido opponamus calefacientia & siccantia; si intestina, in quibus ipse mali fons consistit, ab obstructionibus & humoribus noxiis liberemus; si, quod peccat, naturæ reddamus obediens; si ea omnia abscindamus, quæ causam quocunque modo augere aut fovere possunt; si denique cordis robur conservemus, atque ea, quæ debilitata sunt, confortemus & refocillemus.

### X.

Hæc interim ut decenter, i. e. citò, tutò atque jucundè procedant, primò omnium præscribo:

R̄. Rad. alth. ʒ j. angel. ʒ iij.

herb. alth. salv. beton. cent. min. ʒ. Mj.

fem. anis. carvi. ʒ. ʒ β. corriand. pp. ʒ ij.

fl. samb. p. iij.

Coq. in aq. font. q. s. in colat. ʒ x. dis.

mell. anthos. ʒ ij. add. salis ʒ j.

F. clyisma; injiciatur duabus horis ante cœnam.

Sequenti die, tribus circiter horis à somno secetur vena, cubiti dextri maximè turgens, atque sanguinis extrahatur ʒ β.

Quia verò Τὸ Φλέγμα juxta Hipp. πρὸ φύσ. ἀνθρ. γλιχρότατόν ἐστι, καὶ βίη μάλιστα ἀγεται, μετὰ χολὴν μέλαιναν. Diebus octo sequentibus, manè jejuno stomacho, alternatim

in usum



in usum vocentur apozema sequens, atque electuarium, inferius dicendum.

℞. Rad. en. camp. ℥ j. Zedoar. ir. flor. ā. ℥ β.  
herb. meliss. menth. ā. M ij β. absinth. M β.  
fol. s. d. m. ℥ j. agar. r. troch. ℥ j.  
sem. coriand. ppt. anis. fœnic. ā. ℥ i β.  
flor. ros. rubr. lil. conv. ā. p ij.

coq. in aq. & vini q. s. in colat. t̄b j. diss.

syr. ros. sol. comp. cum rb. s. & ag. ℥ iij.

F. apozema clarif. & aromatiz. cum

zz. cinam ā. ℥ β. pro 3. dosib.

### XI.

His præmissis, horis aliquot ante prandium vel cœnam, scapulis applicentur cucurbitulæ, eæque cum scarificatione: Et ut obsequium præstem Hippocrati libr. πει παθῶν sic dicenti: Ἦν ἐς τὴν κεφαλὴν ὀδύνη ἐμπίσῳσι, τέτρετὴν κεφαλὴν ζυμφέρει διὰ θερμαίνεσθαι, λήγοντα πολλῶ καὶ θερμῶ, καὶ παρμόν ποιεόντα φλέγμα καὶ μύξας ὑπάγειν: haud ineptum erit, si capiti, præmissâ scarificatione, sacculos madentes, naribus verò sternutatorium admoveam: sint autem talia:

℞. herb. major. menth. fumar. ā. M j.  
fl. aneth. salv. lil. conv. ā. P iij.  
sem. anis. carvi ā. ℥ β.

ex Inc. & contus. s. sacculi n. ij. quorum usûs tempore unus irroretur aq. rorisism. q. s. applicentur alternatim calidè.

℞. rad. pyrethr. ℥ β.

fl. lil. conv. anthos. ā. ℥ ij.

F. pulv. tenuiss. add. ambr. gris. gr. ij.

d. ad pixid. pro sternutatorio:

De quo parùm naribus sæpiùs attrahatur à jejuno.

Simul tamen & aures foveri possunt, epithemate parato ex linteo aq. major. fœnic. ā. q. s. imbuto, & auri dextræ calidè applicato; aut, si ægro incommodum videbitur, utatur hocce:

℞. ol. d. carvi. fœnic. cummin. ā. gtt. iij.

Hujus olei gtt. j. bombyx leviter imbutus intrudatur in aurem lateris affecti.



### Tandem pro robore

*Rx. conf. fl. salv. major. stæch. ᾶ. ʒ i β. anth. ʒ j.  
cond. cort. citr. cal. arom. ᾶ. ʒ i β.  
ol. d. fœnic. gtt. vj.  
syr. cap. ♀. q. s.*

F. mixtura ad formam opiatae, de quâ sumat æger sæpiùs nucis moschatae magnitudine.

Quòd si hæc non suffecerint, excitentur Vesicatoria post aures, aut Fonticuli, vel in brachio, vel sub poplite lateris affecti.

### XII.

Degat æger in hypocausto modicè calefacto, in victu fugiat nimium pinguia, cruda, flatulenta: contrà verò utatur cibis euchymis & eupeptis, v. g. pullis gallinaceis, caponibus junioribus, eorumque jusculis; conceditur jusculum carnis & hordeatum; viter ciborum copiam atque varietatem; potus sit decoctum tale:

*Rx. ras. lign. sanct. rhod. ᾶ. ʒ ij.  
rad. liquir ʒ i β.  
sem. anis. ʒ j.  
cinam. minutim. confr. ʒ ij.*

Incis. & contus. coq. in aq. font. t̄b viij.

Ante cibum, si possit, modicè moveatur; reliquo tempore, ob corporis lassitudinem, quiescat; dormiat noctu, vigilet interdiu; excreta tam universalialia quàm particularia, si naturæ non respondeant, provocentur arte: animi pathemata sint moderata.

Hæc, si eo, quo præscripta sunt, modo atque ordine adhibeantur, atque in usum vocentur, non dubito, quin

(Θεὸς μεγάλῳ ἐκητι) affectus iste expugnetur, atque æger pristinae sanitati restituatur.

Δόξα ἐν ὑψίστοις ᾧ Θεῷ ἀθανάτῳ.